

MAGNO LITERARUM

HEROI

T H O M Æ

R E I N E S I O ,

MEDICINAE DOCTORI  
CELEBERRIMO,

CONSILIARIO SERENISS. ELECTORIS  
SAXONIÆ SAPIENTISSIMO,

PATRONO SUO VERE PATERNO,

hac

EXULTANTIS ANIMI TESTIFICATIONE

simul

REVERSA FELICITER ONOMASTHPIA

simul

DIVINI OPERIS SUCCESSUM

gratulabatur

FRIDERICUS BRUMMERUS, LIPS.

D. XXI. DECEMBER.

ANNO M DC LXIII.

---

L I P S I Æ,

TYPIS COLERIANIS.





## Vi inæstimabilis

ingenii tui labor mihi ante annum hanc lucē celebranti in votis erat, idē nunc penē est in manibus. Unde exoptatissimæ mihi gratulationis renascitur materia. Sed nescio fermē magisne Tibi, Sapientissime REINESI, an orbi literato gratuler. Adhuc equidem prelum exspectat opus, ut spem ejus potius eruditi, quàm rem habere videantur. Sed tamen, quæ præsentis diei est felicitas, haut paulò propiù jam, quàm olim, à re absunt: posteaquàm partus ille divinæ mentis tuæ pariter atq; scriniorum vincula refregit. Quis regionibus maternos modò locos egressum & obstetricis exceptum ulnis Principem non adplaudit? tametsi nondum aptatâ regali purpurâ civium oculis expositū. Veruntamen gratulandi pietas ut in liberis primùm omnium parentibus, ita in libris debetur auctoribus. Tibi ante omnia, venerabilis miraculò literarum SENEX, de superatis quasi parturiendi angoribus feliciter acclamabo. Scio inexhaustę eruditioni tuæ nihil non paratū & expeditum esse, quocunq; eam intenderis. Scio ab aliis multò sudore, ac ne sic quidem, investigata absq; ullo negotio



gotio penetrare subtilissimum, quô polles, judi-  
cium. Ut quantum sua fœminis parturitione diffi-  
cultatis, tantum hæc Tibi facilitatis, tantum dul-  
cedinis, quantum amaritudinis illa, præbeat. Sed in  
opere immenso, recondito, arduo ac inimitabili  
necesse est, si non defatigatione, certè aliquid de-  
fatigati proximum accidere. Quod non mi-  
norem votis legentium, quam ipsius scribentis  
desiderio moram injiciat. Utiq; si amici & in his  
MAGNATES destinatas à Te incomparabili φιλοπονή-  
ματι cogitationes crebris interpellationibus ad se  
trahunt: aut malè custodita librariis provincia  
describendi animum tuum incredibili recorrigen-  
di molestia dstringit. Verum quicquid interim  
incommodi vel tædii passus es, succedit, quod  
conceperas, opus. Quô quidem sublimius gene-  
rosior spiritus non protulit. Illustrarunt alii Rem-  
publicam literaria scriptis admiratione dignif-  
simis. Laudè in illo genere nunquam ita sibi ven-  
dicabunt, ut in ejus societatem doctrinae tuæ ra-  
ritas & excellentia Te non offerat. Publicarunt illi  
varias lectiones? publicasti. Profuerunt posteri-  
tati epistolis? profuisti. Integros vel Græcos vel  
Latinos luci scriptores dedere? Habebimus à Te  
quoque, quod hæc exæqvabit merita. Cur enim ad-  
ornatum prelo JOSEPHUM, vel jam nunc sub eo su-  
dantem HIPPOCRATEM Tibi non vel maximè in ac-  
ceptis feremus? Sine cujus auspicio ductuque ipsa



Editorum confessione res geri non potuit. Quid  
interest REINESIUS aliquem usibus publicis scri-  
ptorem adferat, an per REINESIUM alii? Qui nisi  
REINESIO adiutore, feliciter id posse fieri negant.  
Quamquam quid ex futuris cum aliorum in rem  
literariam beneficiis tua confero? Evolvantur  
VARIAE tuae. PLINIUM VALERIANUM ibi invenient,  
quem haecenus in ipso PLINIO VALERIANO docti  
quaesivere. Sit modo, qui utilissimum medicis ac  
Latinitatis studiose juventuti auctorem ad operas  
impressorias revocet: sit, qui excerptas e Variis tuis  
emendationes singulis capitibus distribuatur & ad-  
fignet: ex osculabimur a tua liberalitate Scriptoris  
istius editionem in transitu datam, quae vel singu-  
lari ab aliis industria compositas extingvat. Vi-  
des quam nihil omnino suspiciendum ab huius  
vel superioris seculi literatis possideamus, cui non  
responderit sapientia tua. At vero huic Operi in-  
est quiddam ἀκωνάωντον. Quippe quod nec exemplum  
habuit, nec parem sibi invenit. INSCRIPTIONUM VE-  
TERIS ROMAE SYNTAGMA est sinu tuo prodit. Quas  
novissime repertas & varie hinc illinc dispersas  
partim summum in Te literas demerendi studium  
conduxit; partim in coetu Musico praestantissimi  
quique Tibi unico in dubiis Apollini interpretan-  
das transmiserunt. Has ex obscuris perspicuas, ex  
mutilis integras, ex depravatis correctas exhibes.  
Exhibes autem tanta cum explicandi dexteritate  
ut



ut non ex nostra, sed ipsorum <sup>σηλογραφισάντων</sup> memoria  
aetas tua videatur interpretanda. Nec dubito,  
si extincti fati auctores harum Inscriptionū  
jam reviviscerent, quin plenissimō veritatis te-  
stimonio <sup>ευσοχίων</sup> tuam sint comprobaturi. Occu-  
passe quidem Scaliger & Gruterus editō grandi  
Inscriptionum volumine videntur. Sed quanto  
Tu ipsos post Te intervallō relinquis! Illi sylvam  
caedam dedere. Tu repurgatā. Illi aenigmata vul-  
garunt. Tu producis Oedipum. Seu quō aliō no-  
mine adpellem illud, quae nunquā ab ullo Eru-  
ditorum profectū est, EPONYMOLOGICUM. QVOD  
SYNTAGMATI tuo additū perfectam expletamq;  
omnibus numeris & partibus cognominū Roma-  
norum notitiam nobis suppeditat. Nihil quippe  
horum neq; in lapidibus neq; chartis extat, quod  
non hic legamus dispositū aptè: evolutum inge-  
niosè: dijudicatum acriter. Quin etiam Romanis  
illis Graeca quaedam & Teutonica miscentur. De  
quorum explanatione, nisi Tu contigisses, despe-  
randum erat omnino. Ut per hoc demum EPONY-  
MOLOGICUM Gruterianae Inscriptiones fructuosis-  
simè in doctorū manibus sint futurae. Neq; verò  
est, quod post Gruterōs objiciantur mihi Chiff-  
letii, Pignorii, Liceti, Ursati, Tomasini, tanquā  
explicatarū Inscriptionū famā illustres. Etenim  
dubito an honestiūs pudori suo consuluerint, si  
intra Gruterianam se modestiam continuissent:  
si cogitassent, non eadem aestimatione SCRIPTO-



RUM & INSCRIPTIONUM expolitionem esse metien-  
dam. Quod in illis plenus orationis contextus  
longè faciliorem commentandi laborem faciat:  
in his ex literis & syllabis Inscriptionis mens eli-  
cienda. Illic consveta & regulis suis definita sit ver-  
borum constructio: hic insolens & arbitrii Inscri-  
bentium. Illic offusam caliginem exorta sæpè in  
Inscriptionibus lux disjiciat: hic multa occurrant,  
quibus sanandis frustra ex Historicorū libris me-  
dicinā quæras. Sed familiari mortalibus vitiō lapsi  
sunt; quō pleriq; ingeniis nostris non ex præscri-  
pto PROVIDENTIÆ utimur, sive ad majora viribus  
ruentes, sive immorantes minorib9. Fefellit etiā,  
quem præceperant, eventus. Blandit9 eqvidē eo-  
rum interpretamentis ad sensu & studiō legentiū  
hactenus: sed quod TUORUM collatione tam citō  
nunc evanescit & exspirat, quā levis illi causa fuit.  
Minora sidera ad negatam sibi noctis illustrandæ  
facultatem maximō quidem opere enituntur,  
Solis exorti radiis obscurata unā cū nocte cedunt.  
Similiter doctores illi ad rei perficiendæ laudem  
contendentes, Tibi soli dant perfectæ gloriam.  
Quamquā Tu gloriam quidem minime adpetis.  
Qui omnia post DEUM ad splendore Patriæ po-  
tius & communē literarū salutē refers. Jacuit usq;  
adhuc altō foedōq; damnata silentiō patriorum  
Nominū Antiquitas. Experta in cæteris vindices  
suos GERMANIA in hoc etiamnū desiderat. Quod  
Ro-



Romani non Germanos tantum sed Germanorum nomina quoque devicerant. Nisi forte magis à marmorariis librariisque patrii sermonis expertibus NOSTRATA modulò Latinò erant adfecta. Nec ferendū igitur Tibi videbatur, ut diutiùs multum profutura literaturæ Teutonicæ pars lateret. Quippe solus ei reductor & reformator à DEO eras reservatus. Proinde EPONYMOLOGICI tui (cujus quidem præcipuus finis Romani erant) non ignobilem partem Populares nostros fecisti. Illorum nominibus pristinam formam, dignitate celebritateque redditam. Non amplius GEBUINO GABINI obstrepit: SIGMARUS dissentientem à suo genere adpellationem SILVANI deposuit: utque brevissimè, quod sentio, enunciem, GERMANI GERMANIS beneficiò tuò sunt restituti. Neque tamen gloriæ illorum magis, quam utilitati publicæ hoc Opere prospectum est. Historico in primis studio. Legimus quæ Græci Romanique homines literis tradidère. Verum lectionis fructum non tulimus. Nam percepimus res gestas, ignoratis, quæ gesserint; aut si non ignoratis, at confuse & turbate animò conceptis. Dum vel discernendos conjunximus, vel discrevimus jungendos. Quot Æmilianos, Capitones, Dextros, Proculos, vel ipsis seculis distantes ad eandem ætatem retulimus? Quot, vicissim, qui ejusdem erant, ad diversas? Quoties UNUS ineptam distinctione multiplicatus est? Quoties PLURES, velut à coquo jura, in UNUM confusi & permixti? Quod



Quod quantas in historia turbas excitet, soli ignorant, qui ingentia solidæ historiæ cognitionis commoda ignorant. Verum hæc omnia EPONYMOLOGICO tuo ad liquidum perducta sunt. Hoc duce qui in historiæ campum excurrerit demceps, non poterit nisi uberrimo cum fructu exinde reverti. Superfedebo in presenti commemorare emolumenta Legibus Codicum Theodosiani & Justinianei in illo proposita. Tacebo, quò Tu iudicio tum titulos, tum earum clausulas emendaveris, suppleveris, restitueris: quæ <sup>ἀρχαία</sup> abrupta & dispalata Legum fragmenta (in quo Cujacius multum laboris & vigiliarum exhausit) corporibus suis junxeris: ut nihil æquè in optatis haberemus, quàm Batavi recentem Juris Civilis formam ad hujus accessionis adspectum distulissent; profectò, quãlibet commendatissima enitet, multò commendatiore futura. Quid dicam de pretiosissimo rerum omnium thesauro, SYNTAGMATE? Unde antiqui Juris illustrationi apprimè inservitura integrum fuisset depromere. Quippe id ipsum in ambiguum utilitatis certamen cum EPONYMOLOGICO descendit. Quicquid enim veterum elegantiarum inconsulta & superstitiosa librorum correctio Scriptoribus eripuit, maximam partem superest in Inscriptionibus. Nec superesset tamen, sine tuo SYNTAGMATE si foret. Hoc, hoc est, quod priscae Latinitatis cultus, proprietates, formulas, ex marmoribus saxisque eruit:

erutas



erutas argutè exponit: expositis tenebrosos Au-  
ctorum locos illuminat. Hoc privata Romano-  
rum gesta in Inſcriptionibus ſolis recondita  
antiquitatis amatores apertè & enucleatè edocet.  
In ſumma, nihil vel Græcia vel Latium memoria  
dignum lapidibus mandavit, quod non ad pecu-  
liarem legentis uſum transferat. Atq; hæc Operis  
tui bonitas quàm pari jucunditate condita eſt!  
Naturæ ſolertis ingenium imitaris ſcitiffimus  
artifex; Quæ cibos eorſdem & ſaluberrimos pa-  
ſcendo corpori gignit, & palato gratiſſimos.  
Juvat hîc addiſcere victoris gentium populi Sa-  
era & Cerimonias. Juvat publica Imperatorum,  
Conſulû, Ædilium, privatorum quoq; hominû  
Opera perluftrare. Magiſtratum in Urbe, Pro-  
vinciis, Municipiis, coloniis, quàm decora ſiſti-  
tur ſeries! quàm accurata Ordinum, Collegio-  
rum, Sodalitatum, Corporum enarratio! Jam ſi  
à civilibus ad bellica tranſcendimus, quid veteris  
Militiæ gradibus dilucidius expreſſum? quid  
prolatum diſtinctius? Delibarem reſiduas SYN-  
TAGMATIS dulcedines niſi illas quafi præoccupâs  
EPONYMOLOGICUM ad ſuarum guſtû mentem ab-  
riperet. Cujus lector nonne videbitur ſibi in  
atrium aliquod nitidiſſimum delatus ibi circum-  
ſtantes majores vel gentis ſuæ proceres ipſa  
vetuſtate venerandos intueri? Non commen-  
datione ceræ aut pigmentorum fucis renitentes:

Sed



Sed nominibus, sed tempore, scriptis gestisque ad-  
eò succinctè collocatos, ut ipsa spectandi volu-  
ptas acuat spectandi desiderium. Mihi certè quo-  
ties illam fruor (quis autem dies sine fruendi copia  
præterfluit?) omnes deliciae spernuntur: omnes  
amoenitates sordent. Quinimò ausim conten-  
dere Atticorum carminibus Capitonumque  
exornatas Illustrium statuas non ita Romanos  
olim adfecisse. Nec verò solus, quamvis solus  
hactenus, horum sensu Scriptorum gloriabor.  
Experientur & alii, ubi privati illa juris esse de-  
finent; ubi per ora doctissimorum hominum  
ferentur. Et dabit hæc publicatio non oble-  
tationem modò & commodum cognoscentibus,  
verum etiam sibi & tot Nominibus immortali-  
tatem. Non marmorum quidem, lapidum  
cipporumque beneficio & muneri imputatura:  
sed Tibi. Tibi, inquam, vero immortalitatis ad-  
fertori. Cujus chartæ faxeam istam Romano-  
rum perpetuitatem materiæ vitiò jam sene-  
scentem novam perennitate muniunt. Non  
quatenus chartæ sunt quidem, sed quatenus tuæ.  
Nihil enim Tui in aspectum lucemque prodiit,  
quin sempiternum sit: quin insitam quadam  
& innatam virtute istam faxis inevitabilem ob-  
literationis injuriam sibi defendat ac pro-  
pulsset. Erit autem Operi tuo tantò cer-  
tior æternitas, quantò cæteris est excelsius:  
quantò



quantò ad amplificandam Patriam, ad refoven-  
da literarum studia, ad tenendos lectorum ani-  
mos idoneum magis. Vincet non lubricã solùm  
marmorũ, quæ tuo nunc lumine resplendescunt,  
constantiam facillimè: sed quascunq; vel majo-  
ris diuturnitatis destinatione moles sumtuosius  
quondã extruxit vetustas. Pyramidũ, Colossi,  
Mausolèi, aliorum inter mira & memoranda  
mundi extantiũ. Hoc MIRACULUM excellentissi-  
mus perfectionis gradus & perenniviva mate-  
ries nunquã patietur obsolescere. Hoc ab inge-  
nio, divinitatis parte, elaboratum fama rerum  
vehet perpetuò, memoria temporũ celebrabit.  
Ut sicut è SEPTEM illis precariam sibi mundus glo-  
riam decerpfit: ita ex hoc literatus orbis nunquã  
intermorituram sit consecuturus. Tuum verò,  
Divine VIR, Nomen non columnis, trabibus aut  
faxis, verũ monumentis æternæ laudis incidetur.  
Ibit in secula REINESIUM talia cultiori literaturæ  
imputasse, quæ exspectare à nemine præter  
REINESIUM potuit. Stabunt effigies tuæ non ut  
olim in foro aut agris; Sed in eorum mentibus,  
qui hæc ampla & diffusa tua in Rempubl. litera-  
riam merita candidis & à vulgi alienis judiciis æ-  
stimabunt. Obstupescet Te docta posteritas, &  
quandoq; inter illam quæretur, an hoc Opus  
ab homine confici potuerit. Cui ut semper  
interfis, uti ab his, quæ natura nobis ad viven-  
dum



dum dedit, angustiis impetrari nequit: Ita  
DEUM immortalem non desinentibus votis  
oro, posco, flagito, ut animum istum Tibi  
plura simillima edendi, animo isti tempus in  
hoc corpore commorandi quàm longissimum  
tribuat. Idem faxit, ut reliqua Operum tuo-  
rum jamdudum extremam in claustris limam  
experta Hoc tanquam comtiores pedissequæ  
excipiant: Adeoque tam Tibi THOMAM,  
quam eruditis REINESIUM, tranquilla diutissi-  
maque statione mortali fungentem aliis su-  
per alias acclamationibus liceat  
gratulari.

FR 24/559



107

mc





MAGNO LITERARUM

HEROI

T H C

R E I N

MEDICINA

CELEB

CONSILIARIO SER

SAXONIAE

PATRONO SUO

EXULTANTIS ANIM

REVERSA FELICI

DIVINI OPER

gratu

FRIDERICUS BI

D. XXI. I

ANNO M

L I P

TYPIS COLERIANIS.

Æ

ORI

ORIS

NE

A

LIPS.

